

ENCHIRI. CHRISTIANAE INSTIT. Fo. LI.

deuoret, cui resistite fortes in fide. Et rursus: Et hæc est victoria quæ vin-
cit mundum, fides vestra. Si desit hæc fides, nulla bona opera conferunt
ad salutem. Nam diuus Paulus peccatum pronuntiat, quicquid nõ est
ex fide, intelligens: quia non est sine fide quicquam meritorium. Sin ad-
sit, omnia cooperantur in bonum. Neque enim deus fide formata sibi sic
credentẽ subleuare desinet, nihilq; ei euenire permittet, nisi quod ei pro-
sit, & si nesciat, vt siue viuamus siue moriamur, domini simus.

Iohan. 9
Nulla opera
bona absq;
fide.
Roma. 14

Roma. 8.
Augu. in so-
liloq. lib. 1
Iob. 15

Redimus, inquam, in deum. Quum deum dicimus, sentimus illam
æternam mentem, qua nihil esse potest, nec maius, nec sapientius,
nec melius quæ incommutabiliter est sine tempore, quæ est ipsum esse,
& a qua venit rebus conditis, vt sint aliquo modo. Sic Exodi. iij. legi-
mus: Ego sum qui sum. Et qui est, misit me ad vos. Et Christus ait: Deus
us spiritus est, id est, substantia spiritualis sine initio, sine fine, simplex, si-
ne vlla admixtione, inuisibilis, incorporea, immensa, ineffabilis, inæsti-
mabilis. In qua nihil adiunctum, nihil creatum sit. Nam infinita potens-
tia, infinita sapientia, infinita bonitas, infinita iustitia, infinita misericor-
dia, quæ deo tribuuntur, non sunt accidentia in deo, sed deus est re ipsa
hæc omnia.

Deus quid,

Exodi. 3

Iohan. 4

Patrem Patrem addidit, vt distinguat hæc personam a filio. Mox
enim subiicit: Et in Iesum filium eius vnicum. Quanquam in scripturis
deus trifariam appellatur pater. Primo, vt sit notionaliter nomen perso-
næ deitatis, cui soli hoc competit, q; filium genuit eiusdem deitatis con-
sortem, & vnum cum patre existentem, quemadmodum hic accipitur.
Et apud Iohannem: Qui me videt, videt & patrem. Et: Ego & pater
vnum sumus. Deinde dei nomine sic accepto, vt totam declaret trinita-
tem, Deus recte dicitur pater, q; creator sit omnium, rerum cõditarum,
quemadmodum legimus: Nunquid non ipse est pater tuus, qui posse-
dit te & creauit te: Denique peculiari ratione deus dicitur pater timen-
tium ipsum, quos in filios adoptare dignatur, sicut scriptum est: Et de-
dit illis potestatem filios dei fieri his qui credunt in nomine eius.

Deus pater
trifariam ac-
cipitur.

Iohan. 14

Deut. 32

Iohan. 1

Omnipotentem, Quum audis omnipotentem, intelligis deum
esse, ad cuius potentiam & maiestatem nihil est hominum aut angelo-
rum sublimitas, seu quæcunq; potestas. Potest quidem secundum datã
potestatem, quilibet angelus vel homo dici potens, sed absit, vt dicatur
omnipotens. Solus deus omnipotens, qui omnia ex nihilo creauit. Et om-
nia quæcunq; voluit, fecit, in cælo & in terra, facitq; hoc omnipotentis
cognomen ad confirmandam fidem imbecillium, & ad excludendas

Solus deus
omnipotens,

Iohan. 1
Psal. 134

Omnipoten-
tia dei, fidei
robis.

L omnes